

nem, et secundo determinare, id est, judicare æqualitatem, et proportionem inter ipsas, res, et hoc vocatur medium rei ad differentiam medii rationis; quod pertinet etiam ad alias virtutes quatenus respiciunt regulationem actuum, qui egressiuntur a voluntate, prout ab illa egressiuntur. Justitia autem non solum ponit regulationem rationis in ipso actu voluntatis, sed etiam in ipsis rebus, vel personis determinat æqualitatem, et proportionem, non quia justitia eliciat ipsum actum iudicii, qui est actus cognitionis, hoc enim est actus synesis, quæ est pars prudentiæ, sed justitia disponit voluntatem, ut convenienter moveatur intellectus ad iudicandum.

Secundum quod pertinet ad materiam justitiæ est agere de ejus partibus. Et primo occurrunt partes subjectivæ, seu species justitiæ, quæ sunt tres, scilicet justitia legalis, distributiva, et commutativa, cum enim justitia constituat ordinem ad alterum, potest iste ordo considerari, vel inter partem, et partem, id est, inter duas personas privatas, vel inter totum, et partem, vel e converso inter partem, et totum. Primo modo constituitur justitia commutativa. Secundo modo distributiva, quatenus a capite derivatur ad partes rei publicæ conveniens distributio. Tertio modo est justitia legalis, qua quælibet persona respicit bonum commune, et debitum legis. Omissa autem justitia legali, de qua tractatum est quæstione LVIII agendo de dignitate justitiæ, quæ non respicit debitum particulare, sed communiter debitum omnium virtutum, ex quibus coalescit bonum commune, tantum agit de alia duplici specie, in qua attenditur particulare debitum, seu medium, et aliam æqualitatem servat distributiva, aliam commutativa. Distributiva enim respicit æqualitatem propor-

tionalitatis, id est, fundatam in portione personæ ad rem, quæ ei distribuitur, et vocatur medium æqualitatis geometricæ. Commutativa autem respicit æqualitatem secundum se, scilicet valorem ipsum et æqualitatem rei ad rem sicut fit in commutationibus, seu contractibus, et vocatur medium æqualitatis arithmeticæ. Et sic de istis duabus speciebus agit quæstione LXI.

Explicatis speciebus, agit de principalibus actibus earum. Et quidem actus justitiæ distributivæ perficitur per iudicium, quo decernitur distributio præmiorum. Et de iudicio tractatum est in quæstione LX, actus autem justitiæ commutativæ est reddere alteri particulari, quod suum est. Dupliciter autem hoc fit. Primo, ratione alicujus actionis, vel commutationis voluntariæ sicut fit in diversis contractibus vel secundo ratione involuntariæ actionis, seu injuriæ, vel damni, quod fit per restitutionem. Primum non potest tractari nisi agendo de omnibus contractibus, de quibus tamen non pertinet agere ad theologum, nisi quatenus licite, vel illicite fiunt, et ideo melius explicabitur quando agitur de peccatis oppositis justitiæ. De secundo scilicet de restitutione agit in præsentis quæstione LXII.

Post species justitiæ, et earum actus, agit D. Thomas, de vitiis oppositis istis duabus speciebus justitiæ. Et primo, agit de peccato opposito justitiæ distributivæ, quod est acceptio personarum, quæ attendit ad conditionem personæ et non ad proportionem cum præmio, et de hoc agit quæstione LXIII.

Secundo, agit de vitiis oppositis, justitiæ commutativæ, quæ sunt in multiplici differentia, et ita agit de illis que ad quæstionem LXXVII. Possunt autem sic in ordinem redigi. Nam justitia commutativa versatur circa commutationes rerum. Pos-

sunt autem commutationes istæ fieri, vel cum consensu, et voluntate utriusque partis, et sic proprie sunt actiones commutativæ, vel possunt fieri altero invito, seu patiente, et sunt commutationes involuntariæ. Circa commutationes involuntarias potest committi injustitia, sine injuria, vel facto, vel verbo; facto, vel in personam propriam, vel in conjunctam, vel in res possessas. Si primo modo, aut fit injuria per homicidium, et de hoc agit quæstione LXIV, vel per pœnalem tractationem personæ, ut per mutilationem, verberationem, incarcerationem, etc. Et de hoc agit quæstione LXV, in personam vero conjunctam fit injuria, vel in uxorem per adulterium, vel consanguineam per incestum, et de his agitur infra tractando de speciebus luxuriæ; in res autem possessas fit injuria si accipantur invito domino, vel per furtum occulte, vel per rapinam manifeste, et violenter. Et de hoc agit quæstione LXVI.

Si vero injuria fiat verbo, potest fieri, vel in iudicio, vel extra iudicium. Et considerat Div. Thomas quod in iudicio quinque modis potest fieri ista injuria, et extra iudicium aliis quinque. In iudicio quia quinque personæ ad illud concurrunt, scilicet iudex, accusator (seu denunciator) testis, reus, advocatus. Et de justitia ex parte iudicis agit quæstione LXVII. De peccato ex parte accusatoris quæstione LXVIII. De reo, et injustitia, vel justitia illius quæstione LXX. De injustitia ex parte advocati quæstione LXXI. Ad istos autem reducuntur alii ministri justitiæ, et peccata seu injustitiæ ex parte illorum.

Similiter extra iudicium potest fieri injuria per verba, seu quæcumque alia signa exteriora manifestativa defectus alieni quinque modis, scilicet contumelia, murmuratione,

susurratione, irrisione, et maledictione. Quæ sic distinguuntur, quod per contumeliam tollitur honor alienus præsertim manifestando aliqua mala culpæ, ut quod sit hæreticus, vel fur, nam dicendo aliqua mala pœnæ proprie est convicium, dicendo autem minorationem, vel indignitatem alicujus est improprium, quod totum sub appellatione contumeliæ includitur. Et de hac agit quæstione LXXII. Murmuratio autem, seu detractio non tollit totaliter honorem, sed famam denigrat. Et de hoc agit quæstione LXXIII. Susurratio autem dicit aliqua mala de proximis seminando discordias. Et de hoc agit quæstione LXXIV. Irrisio manifestat malum aliquod, seu defectum proximi ad inferendum pudorem, seu confusionem. Et de hoc agit quæstione LXXV. Denique, maledictio manifestat aliquod malum non affirmando illud, sed imprecando proximo. Et de hoc agit quæstione LXXVI. Et hæc sunt peccata injustitiæ circa communicationes, seu actiones involuntarias.

Circa communicationes autem voluntarias, quæ fiunt ex consensu, et contractu, solum duo peccata principalia inveniuntur, scilicet fraudulentia, et usura. Et quidem fraudulentia versatur circa emptiones et venditiones, vel alios similes contractus, qui aliquando conveniunt cum emptione, et locatio, conductio, societas, negotiatio, et aliæ similes, contra quos si peccatur per fraudulentiam peccatur. Et de illa agit quæstione LXXVII. Usura autem versatur circa mutuum, vel contractus, qui habent aliquam similitudinem mutui saltem virtualiter secundum anticipatas solutiones, et de hoc agit quæstione LXXVIII. Circa alias autem commutationes voluntarias non invenitur species aliqua peccati præter furtum, rapinam, fraudulentiam, et usuram.

Explicatis partibus subjectivis, seu speciebus justitiæ agit de partibus integralibus, quæ non sunt partes componentes entitative, sed sunt conditiones aliquæ, seu dispositiones concurrentes ad perfectionem integram justitiæ. Et sic ponuntur duæ partes integrales justitiæ, scilicet facere bonum, et declinare a malo. Potest autem dupliciter sumi hoc quod est facere bonum, et declinare a malo. Uno modo ut tenet se ex parte operantis quatenus facit actum bonum, id est, qui bene egreditur ab ipso operante. Alio modo fit bonum ex parte rei exterioris quatenus in illa constituitur æqualitas, vel inæqualitas, et sic idem est bonum, quod justum. Primo, facere bonum et declinare a malo est commune omni virtuti, nec sunt duæ partes, sed una, et eadem, quia faciendo bonum hoc ipso declinat a malo. Secundo autem modo specialiter invenitur injustitia, et sunt duæ partes ejus, non unus, et idem motus, sumendo declinationem a malo non pro recessu a malo, ut a termino a quo, et facere bonum pro accessu ad terminum ad quem, sed facere bonum, est constituere æquale, et declinare a malo, est non inferre nocentum, quæ duo sunt diversa, et qui facit unum, non continuo facit alterum, aliud est enim non lædere, aliud reddere debitum, et unum violatur per omissionem. Et de his agit quæstione LXXIX.

Post partes integrales, et subjectivas justitiæ agit D. Thomas de partibus potentialibus quæ sunt variæ, et multæ. Et primo, agit de illis in communi, deinde in speciali. Partes autem potentiales in aliqua virtute sunt illi habitus, seu virtutes quæ conveniunt cum principali virtute in modo tendendi, et respiciendi objectum, sed differunt in materia, quia virtus cardinalis seu

principalis respicit materiam magis principalem, et difficilem, partes vero potentiales in materia minus difficili, aut principali servant modum talis virtutis. Ratio autem justitiæ consistit in eo, quod reddatur alteri id quod est illi debitum secundum æqualitatem. Unde in illa materia salvatur principalis ratio justitiæ, in qua redditur rigorosum debitum, et fit rigorosa æqualitas. Quæ vero deficient a rigore æqualitatis, et tamen aliquid debiti servant, aut aliquo modo æqualitatem faciunt, aliam habent materiam justitiæ minus principalem, seu potentialem. Ex his ergo duobus principiis distinguuntur potentiales partes justitiæ, nam quædam servant rigorosum debitum ad alterum, non tamen possunt servare æqualitatem in reddendo illud. Aliæ, e contra possunt reddere æquale, sed non habent debitum rigorosum, seu legale, id est, jure aliquo, seu lege adstrictum, sed morale, seu ex quadam honestate virtutis. In primo ordine collocantur illæ virtutes quæ reddunt debitum Deo, parentibus, superioribus, seu excellentioribus, his enim personis maxime obligamur, sed ad æqualitatem reddere non possumus. Et in ordine ad Deum datur religio, in ordine ad parentes pietas, in ordine ad superiores observantia. In secundo ordine debitum morale seu honestatis dupliciter consideratur. Uno modo taliter quod sine illo honestas virtutis conservari non potest, quia pertinet ad debitam correspondentiam inter homines, et hæc est triplex, nam ex parte ipsius debentis attenditur veracitas, ut sine mendacio, et fictione procedatur, ex parte vero ejus cui debetur, attenditur recompensatio, quod facit in bonis gratitudo, in malis vero vindictio. Alio modo consideratur hoc debitum non tamquam simpliciter requisitum ad

conservandam honestatem virtutis, sed ut melius conservetur, et ad hoc ordinatur duplex virtus, scilicet liberalitas et affabilitas, seu amicitia. Et de his partibus in communi agit quæstione LXXX. De istis vero partibus in particulari agit sequentibus quæstionibus.

De prima ergo parte potentiali justitiæ, quæ est religio agit a quæstione LXXXI, in qua tria principalia considerat. Primo, ipsam essentiam religionis. Secundo, diversos actus, qui cadunt super diversas materias. Tertio, vitia opposita. De ipsa essentia religionis et distinctione ipsius a virtutibus theologicis, et moralibus, ejusque perfectione agit quæstione LXXXI.

Actus vero religionis varii, et multiplices sunt ratione diversæ materiæ, quæ assumitur in cultum divinum, et sic non distinguuntur in ratione formali virtutis, licet distinguantur ex parte materiæ, sicut distinguuntur in eodem homine diversæ partes heterogeneæ non distinctione specifica formali, sed materiali. Igitur religio potest subjicere Deo et in cultum ejus vel aliquid spirituale, et interius, vel aliquid corporale, et exterius. Ex parte rei interioris oblatæ aut illi subjicimus voluntatem nostram per promptitudinem, et applicationem expeditam ad agendum ea quæ Dei sunt, et sic est devotio (nam si id faciat per firmitatem aliquam traditionis, vel promissionis erit votum) et sic de devotione agit quæstione LXXXII. Vel subjicimus Deo intellectum elevando mentem in Deum, et sic est oratio, de qua agit quæstione LXXXIII.

Actus vero qui exteriorem materiam in cultum Dei offerunt, vel id faciunt subjiciendo et ordinando aliquid ad cultum divinum, vel aliquid divinum assumendo in ejus reverentiam. Primo modo possumus cultui divino subjicere, vel corpus

proprium, vel res proprias, quas possidemus. Si subjicimus corpus id fit per adorationem, de qua agit quæstione LXXXIV. Si subjicimus res possessas, vel id facimus abdicando illas a nobis, vel promittendo, et reddendo promissa. Si abdicamus a nobis, vel id facimus immutando illas in honorem Dei, et in protestationem summæ illius excellentiæ, et sic fit per sacrificium, de quo agit quæstione LXXXV, vel eas tradimus ad sustentationem ministrorum Dei, et talia sunt, vel simplices oblationes, seu primitiæ, vel decimæ, et de oblationibus agit quæstione LXXXVI, de decimis vero quæstione LXXXVII. Quod si promittendo aliquid vel nos ipsos, subjicimus Deo votum, quod est actus religionis, quia fit in reverentiam Dei. Quod dupliciter fieri potest vel per modum nudæ promissionis et tunc est votum simplex, vel superaddendo traditionem, seu consecrationem rei promissæ cum acceptatione Ecclesiæ nomine Dei, et talis promissio consecrativa dicitur votum solemne, eo quod tunc aliquid solemnizari postulat quando consummatur, et completur, licet Ecclesia possit religiosum reddere, et pro statu religioso acceptare non stante traditione, et consecratione votantis sed sola nulla *promissione* ex parte ipsius, et simplici voto. Et de istis agit quæstione LXXXVIII.

Quod si in cultum Dei assumamus aliquid divinum, cujus auctoritatem interponimus secundum observantiam religiosam, hoc fit utendo nomine divino, quo nobis auctoritas Dei significatur. Et hoc nomine tripliciter uti possumus in cultu divino. Primo, in ordine ad confirmationem veritatis, quæ quia Deo infallibiliter nota est, interponimus ipsum in testem ad ostendendam veritatem, quam dicimus esse certam, et hæc protestatio pertinet ad cultum

Dei, quia sic protestamur Deum esse summam veritatem, et hoc fit per juramentum, de quo agit quæstione LXXXIX. Secundo vero utimur nomine divino non ad confirmandam nostram veritatem, et obligando nos ad ejus certitudinem, sed ad extorquendam veritatem ab alio per interpositionem nominis divini, et sic est adjuratio, qua vel per modum compulsionis adjuramus dæmones, vel per modum deprecationis homines, et de hac adjuratione agit quæstione xc. Denique, ut possumus nomine divino ad laudandum ipsum, et invocandum pro auxilio, et sic est invocatio, de qua agit quæstione xci.

Exinde agit de peccatis oppositis religioni, cui aliqua opponuntur per excessum, alia per defectum. Per excessum opponitur superstitio, per defectum irreligiositas. De superstitione primo agit in communi, deinde de ejus speciebus. In communi agit quæstione xcii, ostendendo quomodo superstitio est superfluitas in cultu divino, non quidem in cultu vero, in quo nulla potest dari nimietas, sed in aliquibus, quæ ad verum cultum non pertinent. Species autem superstitionis dividuntur ex duplici principio, nam vel exhibetur cultus vero Deo, sed modo indebito, vel exhibetur cultus non vero Deo, sed creaturæ quæ existimatur Deus. De primo genere superstitionis, scilicet de indebito modo cultus circa res externas agit quæstione xciii. De secundo genere cultus agit per tres quæstiones secundum tres species in hoc genere superstitionis. Nam cultus, et respicit personam, cui exhibetur, et signa protestativa divinitatis, per quæ exhibetur. Et quidem si aliquis erret in persona exhibendo cultum creaturæ, et non Deo sic est idololatria, de qua agitur quæstione xciv. Si quis autem erret circa signa pro-

testativa divinitatis id dupliciter contingit, et sic fiunt aliæ duæ species superstitionis, nam signa, et cæremoniæ, quibus cultum Deo exhibemus, vel ordinantur ad nostram instructionem, qua edocemur a Deo, ut per lectiones, orationes, Sacramenta, etc. vel ordinantur ad directionem actuum nostrorum observando ea, quæ Deus instituit. Et contra primum opponitur superstitio divinativa, quæ instrui vult a dæmone, intendens aliquid scire ab ipso per expressam, vel tacitam invocationem, et de ista agit quæstione xcv secundum diversos modos, quibus ista divinatio a dæmone postulatur sicut per necromantiam, vel augurium, vel aruspicium, vel per inspectionem astrorum, vel lineamentorum manus, et aliis similibus modis. Contra secundum autem opponitur superstitio observationum ut quando observantur aliqua signa, ut characteres, ligaturæ, et similia, non ad cognoscendum futura, solum quod est divinare, sed ad alios effectus sicut ad sanitatem, ad inventionem thesauri, ad scientias addiscendas, et similia. Et de hac superstitione agit quæstione xcvi.

Per defectum autem opponitur religioni vitium irreligiositatis, quod pertinet ad contemptum, seu irreverentiam Dei; potest autem fieri irreverentia, vel in ipsum Deum, vel in res factas, et dicatas ad ejus cultum. In ipsum Deum dupliciter, uno modo contra ipsam Dei excellentiam in se, alio modo contra ejus nomen. Contra excellentiam Dei, aut fit tollendo a Deo honorem per idololatriam, de qua jam supra dictum est, aut minuendo honorem Dei dubitando aliquo modo de ipso, volendo sumere experimentum de ejus potestate, aut scientia, quod fit per tentationem Dei, de quo agit quæstione xcvi. At vero contra nomen Dei fit irreverentia per perjurium,

seu falsum juramentum, de quo agit quæstione xcvi.

Circa res autem factas fit irreverentia, aut violando earum sanctitatem aut cum re temporali commutando. Primo modo dicitur sacrilegium, quod multis modis fieri potest, scilicet vel per irreverentiam in personam Deo sacras, aut loca sacra, aut res continentis sanctitatem, ut sunt Sacramenta, vel reliquiæ sanctorum, et de hoc sacrilegio agit quæstione xcix. Secundo autem modo fit irreverentia per simoniam, quæ etiam opponitur religioni, et de ista quæstione c.

Post religionem sequitur inter virtutes potentiales justitiæ, quæ habent debitum rigorosum, sed non ad æqualitatem reddunt, sequitur inquam pietas, quæ respicit debitum reddendum parentibus, patriæ, et consanguineis, quibus specialis subjectio debetur, eo quod a parentibus, et patria habemus principium nostri esse, et nostræ gubernationis, licet inferiori modo, quam a Deo, et ideo non possumus ad æqualitatem reddere, quia non possumus eis dare esse, sicut dederunt nobis. Et ita de pietate agit quæstione ci.

Tertia virtus potentialis justitiæ, quæ reddit debitum rigorosum, sed non ad æqualitatem respicit principes, seu personas in excellentia constitutas, quæ se habent ut principium nostræ gubernationis, sed non nostri esse, et quia eos tamquam superiores colimus non ad æqualitatem reddimus. Et virtus colens talem excellentiam vocatur observantia, de qua agit primo in communi quæstione cii. Deinde, de duabus speciebus, scilicet dulia, et obedientia quæstione ciii et quæstione civ. Distinguitur autem dulia ab obedientia in genere observantia, quia dulia respicit superiorem in ratione excellentiæ, et honoris,

obedientia autem respicit superiorem ut præcipientem, et ideo dulia importat servitutem seu inferioritatem ad alterum, ut ad dominum, et ideo specialiter significat observantiam, quam exhibemus sanctis, quia maxime sunt domini, et honorabiles propter participationem divinitatis. Per obedientiam autem veneramur superiorem in suis præceptis et sic est specialis virtus quatenus hanc venerationem tribuit præcipienti, nam ut solum facit executionem præceptorum per omnes actus virtutum transcendit, qui sunt in præcepto. De inobedientia autem quæ est peccatum in oppositum, et tunc est speciale contra obedientiam, quando ex contemptu præcepti specialiter tollitur veneratio superioris, quam respicit virtus obedientiæ, agit quæstione cv.

Post istas virtutes potentiales, quæ respiciunt debitum rigorosum, sed non ad æqualitatem sequuntur aliæ alterius classis, quæ e contra possunt reddere ad æqualitatem, sed non habent debitum rigorosum, seu legale, sed solum ex honestate virtutis, in qua diximus esse duos ordines, alterum earum virtutum, sine quibus non potest conservari honestas virtutis in debito convictus humani, aliæ vero solum ordinantur ad melius conservandum tale debitum. In primo ordine sunt tres virtutes, scilicet gratitudo, vindictio, et veracitas; in secundo sunt duæ, scilicet affabilitas, et liberalitas. De primis tribus tractat D. Thomas hoc ordine, primo de gratitudine, et vitio opposito, secundo de vindicatione, tertio de veracitate, et vitiis oppositis. In hoc enim debito honestatis conservando, vel obligatio nascitur ex aliqua actione, quam alii faciunt erga nos, et eam compensare tenemur, sive in bono, sive in malo, aut nascitur ex nobis ipsis, et non propter recompensa-

tionem eorum, quæ fiunt propter nos sicut est veritas.

Igitur ad recompensandum debitum ortum ex beneficiis nobis collatis, quæ non inducunt debitum legale, et rigorosum, seu ex pacto, sed gratuitum, et honestum, versatur gratitudo, de quo agit quæstione CVI. De vitio autem opposito, quod est ingratitude, per quam omititur reddi gratia pro beneficio accepto, vel committitur reddendo malum pro bono agit quæstione CVII, ad recompensandum autem pro malis, id est, ad reprimendum nocumentum illatum intendendo cohibitionem inferentis, et aliorum quietem, est virtus, quæ dicitur vindicatio non solum impediendo tale malum, ut procedit ab ipso inferente, et est in ipso, sic enim reprimitur per correctionem fraternam, sed ut est nocivum mihi, vel aliis secundum debitum convictus humani. Quod quidem persona publica reprimat ex debito sui officii secundum legem justitiæ, privata autem persona ex honestate virtutis, vel se ipsum defendendo, vel ad magistratum recurrendo. Et de hac vindicatione agit quæstione CVIII.

De veracitate autem, qua homo totaliter se exhibet in dictis, vel factis, sicut intus se habet non mentiendo, ad quod quidem non tenetur ex debito legali, seu contractu, sed ex honestate virtutis, et debito convictus humani agit quæstione CIX. Veracitati autem opponuntur quatuor vitia, nam in verbis contrariatur aliquid veracitati per mendacium, in factis autem per hypocrisim, seu simulationem. Et de mendacio agit quæstione CX, de hypocrisi quæstione CXI. Utrumque autem potest fieri dupliciter, vel extollendo se supra id quod est, vel diminuendo simulate quod habet scienter declinando a veritate. Et primum fit per jactantiam de qua agit

quæstione CXII. Secundum per ironiam de qua agit quæstione CXIII.

Ultimo, in hoc ordine virtutum potentialium justitiæ ponuntur virtutes, quæ ordinantur ad conservandum debitum honestatis, et decentiæ non simpliciter, sed in melius. Ad quod ordinantur duæ virtutes, scilicet affabilitas ordinatur ad hoc ut homo convivat alteri delectabiliter sicut decet, in verbis, et factis, quod est aliquale debitum decentiæ, licet non sit debitum rigorosum, et legale. Et de hoc agit quæstione CXIV. Opponuntur autem illi duo vitia, alterum per excessum, scilicet adulatio, quando aliquis ita delectabiliter vult alteri convivere, ut velit per omnia placere etiam quando malum est, de qua agit quæstione CXV. Alterum vitium est per defectum, scilicet litigium quando aliquis intendit contradicere alteri non ex defectu amoris unientis animos, sic enim pertinet ad discordiam, sed ut sit ei gravis in conversando, et contristet ipsum, sic enim tollitur debitum convictus humani. Et de hoc agit quæstione CXVI.

Altera virtus scilicet liberalitas maxime videtur elongari a ratione justitiæ rigorosæ, quia non tribuit alteri quod suum est, sed quod est dantis, sed tamen servat aliquam rationem debiti secundum honestatem, et decentiam virtutis, quatenus ipsi convictui humano debitum est aliquid aliis largiri, et non solum id facit ex compassione miserie alienæ, quod pertinet ad misericordiam, sed etiam non interveniente miseria. Quare liberalitas non ponit æqualitatem inter ipsas res sed ordinat id quod decet erga alterum in ratione dantis, et largientis, et ideo pertinent ad ipsam componere appetitum in ordine, ad ea quibus utendum est, quod generaliter nomine pecuniæ appellamus, ut scilicet non ita appetat quis pe-

cuniam, ut nolit eam amittere, et largiri quando convenit humano convictui, unde moderatur passionnes concupiscibiles in dato, et accepto, secundum quod conducit ad debitum, et decentiam hujus convictus, unde non est primo et per se moderativa passionum, sed redditiva debiti. Magnificentia vero quia versatur circa magnos sumptus, in qua non est ratio debiti, sed ratio ardui, pertinet ad fortitudinem. Deliberalitate ergo agit quæstione CXVII. Illi autem opponuntur duo vitia, alterum per defectum, scilicet avaritia, quæ est amor inordinatus habendi possessiones, seu pecuniam, non largiendo illam etiam quando convenit secundum convictum humanum. Et quia possessio rerum est valde appetibilis, eo quod homines maxime cupiunt sufficientiam rerum, cum hæc sit una ex conditionibus felicitatis, ideo avaritia est vitium capitale, quia ex ea tamquam ex motivo, et fine, homo multa alia facit, seu non recusat, et sic agit de avaritia quæstione CXVIII. Per excessum autem opponitur prodigalitas, quæ superfluit in amore dandi, quando, et ubi non oportet, et de hac agit quæstione CXIX.

Præter omnes istas virtutes potentiales justitiæ, et subjectivas, quæ respiciunt justitiam particularem restat agere de quadam virtute adjuncta justitiæ legali, quæ vocatur epiikia, quæ ordinatur ad observationem legis pro aliquo casu extraordinario, in quo si staretur rigori, et verbis legis obliquaretur a rectitudine, et ideo epiikia dicitur non esse nunc attendendum ad verba legis, sed ad intentionem legis si illum casum attenderet, sed quia non potest lex omnes casus comprehendere in particulari, ideo si in aliquo deficit lex, epiikia, seu æquitas dicitur quid sit observandum non secundum verba legis, sed secundum

æquitatem illius, sicut lex universaliter dicitur deposita esse reddenda, tamen in casu quo furiosus petit ensem depositum, æquitas dicitur non esse tunc reddendum. Itaque epiikia corrigit legem quantum ad suam universalitatem, quando scilicet redderetur iniqua lex, si universaliter pro omni casu deberet observari etiam si damnum sequeretur. Et de ista agit quæstione CXX.

Post omnes partes justitiæ sequitur agere de dono illi correspondente, quod est pietas, hoc enim solum inter dona Spiritus Sancti dicitur ordinem debiti ad alterum, considerando Deum ut Patrem, et fideles omnes ut fratres secundum spiritum adoptionis, et sub ista ratione ita universali comprehendit omnia, quæ pertinent ad rationem debiti. Et de isto dono agit quæstione CXXI.

Ultimum quod consideratur in justitia sunt præcepta, quæ de illa dantur, et omnia præcepta justitiæ continentur in decalogo, in quo præcepta dantur secundum ordinem ad alterum, scilicet Deum, vel proximum. Et tria prima, præcepta pertinent ad Deum, quartum ad debitum pietatis erga parentes, alia sex prohibent injurias ad alias personas, et ex consequenti prohibetur concupiscentia specialiter circa adulterium, et furtum, quæ sunt ad alterum quia res venereæ habent rationem maximi delectabilis, et pecunia rationem maximæ utilitatis, ideoque specialiter istorum concupiscentia prohibetur. Et de hoc agit quæstione CXXII.

FORTITUDO.

Tertia virtus cardinalis est fortitudo, circa quam distribuit D. Thomas ordinem tractandi in quatuor